



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De reuerenda sepultura eius. XXXI

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## CAPVT XXXI.

*De reuerenda sepultura eius.*

**I**Tandem feria sexta infra octauas Paschæ adueniente, quæ fuit quarta dies à felici transitu eius, de conuale plorationis & terrenæ habitationis claustrò, post missarum solemnità deuotissimè celebrata, tradita est sepulturæ hora duodecima meridiano sole fulgente & ad ima die decurrenre; exemplo Christi, qui sexta feria passus, hora nona mortuus, ante solis occasum est sepultus. Ad cuius exequias celebrandas adfuit religiosus pater Iudocus Prior regularium de Brielis, qui sæpius cū ea uiuente fuerat familiariter loquutus, & plura sanctitatis eius arcana sagaciter expertus. Hic suauiter pro meliori, & hortabatur populum, ut Christiano more famulam Dei paterentur sepeliri. His dictis, deuotio popularis Priori consensit: & statim ab eo, sarcophago firmiter obserato, corpus sacræ virginis traditur sepulturæ, (exemplo Christi sepulti in corde terræ) iterum ab ipso resuscitandum in nouissimo die, ac glorificandum cum Sanctis omnibus in æterna beatitudine.

2 Sepulta est autem prædilecta sponsa Christi Lidia, uirginitate candida, humilitate profunda, patientia expolita, charitate feruida, misericors, benigna, deuotione præcipua, contemplatione præcellsa, omnibus uirtutibus & donis Spiritus Sancti affluenter decorata. Non sericis inuoluta, non in tumba marmorea clausa; sed in sepulchro de lapidibus opere cæmentarij congruenter factò. Non in ciuitate regia; sed in oppido paterno Schiedam nominato. Non in choro clericorum, aut in sanctuario sacerdotum; sed in comuni cæmeterio parochialis ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ, ad australem partem templi. Vbi ab omnibus inhabitantibus possit sepultura uirginis uideri & uisitari. Non tamen profundè in terra, nec cum terra desuper tectæ; nec super terram nimis eleuata; sed super trabes ligneas, intra fossam lapideam extensas. Et hoc quidem dignè satis; ut quemadmodum in triginta annis terram non tetigerat uiuens; ita nec terra eam tangeret defunctam, nec tumulus terræ operiret corporis eius arcam. Super quam positus est lapis grandis rubei coloris, diuersis rubeis crucibus ab intra decenter figuratus, duobus ferè cubitis super tumulum sepulchri eleuatus.

CAPVT